



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Prima Duo Sæcula Complectens

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 13322648**

§. 32. Adriani Mors. Antoninus Imperator.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

sed frustra, videns igitur quod minis nihil proficeret, septem palos circum Herculis templum poni jubet, eosque trochleis distentos alligari, ubi vario mortis genere perempti sunt; Primo, nomine Crescenti, guttur, secundo Juliano pectus, tertio Nemesio cor transfixum est. Tres sequentes Primitivus, Justinus, & Staeteus diversis corporis partibus transverberati. Septimus Eugenius a capite ad umbilicum usque diffusus. Sequenti die Imperator ad templum Herculis venit, ejusque jussu eorum corpora deposita, & in præaltam fossam conjecta. Pontifices Gentilium hunc locum deinde septem *Biothanates* dixerunt, quod græce, voce Magis familiari, mortuos significat morte violenta, & speciatim ultimo supplicio affectos. Persecutione deinde per octodecim menses remittente, debitus honor Martyribus redditus, eorumque corpora sollicite in via Tiburtina octo ab urbe milliaribus sepulta. Hodiedum Ecclesiæ, ad eorum memoriam exstructæ, rudera videntur, in loco, septem fratres, nominato.

## §. XXXII.

*Mors Hadriani. Antoninus Imperator.*

Imperator Hadrianus in filium adoptaverat Lucium Cejonium Commodum

G g 4 Verum,

Sæculum II.  
A. C. 134.

*Tertull. de  
an. c. 57.*

*Martyr.  
Rom. Usuar-  
di Ado  
21. Jun.*

*Roma Soter.  
lib. 4. c. 17.*

Sæculum II.

A. C. 134.

Verum, qui ante ipsum diem clausit. In  
 hujus locum Titum Aurelium Fulvium  
 Bojonium, alias Arrium Antoninum, in  
 memoriam Avi sui materni dictum, ado-  
 ptavit. Hadrianus sub finem Imperii ob  
 multos Romanorum clarissimos sublato  
 crudelitatis notam incurrit. Tandem  
 Tibure in domo sua ex hydropisi cœpit  
 decumbere, & cum remedia nihil eum  
 juvarent, mortem impatientissime desi-  
 derabat. Jamque venenum, jam pugio-  
 nem petenti, quamvis danti non impu-  
 nitatem modo, sed etiam mercedem  
 promitteret, nemo erat, qui dare vellet.  
 Medicus ejus, ut importunas preces, vel  
 imperia toxicum parandi effugeret, se-  
 ipsum interfecit. Habebat Imperator  
 apud se quemdam barbarum de natione  
 Yazigarum, nomine Mastorem, cujus o-  
 pera propter ejus vires eximias, & au-  
 daciam in venatione uti solebat; huic  
 partim minis, partim promissis persuasit,  
 ut se supra mamellam, loco, quem Her-  
 mogenes Medicus indicaverat, si sine do-  
 lore mori vellet, percutere condixerit,  
 at barbarus subito horrore contremiscens,  
 re infecta aufugit; tum vero Impera-  
 tor in lamenta solvi, quod sibi moriendi  
 copia adimeretur, cui adhucdum vitam  
 aliis auferendi potestas esset. Denique  
 optimum factu visum, si sobrietatem, cui  
 assueverat, frangeret, cœpitque, quid-

quid

quid cibi, vel potus nocere posset, stomacho ingerere; itaque, postquam exclamasset: Multitudo Medicorum occidit Regem, extinctus est. Annum ætatis agebat sexagesimum secundum, & imperaverat viginti, & uno. Successorem habuit filium suum adoptivum Antoninum cognominatum Pium, qui illico Imperii habenas cepessivit, anno Jesu Christi centesimo trigesimo octavo.

Sæculum II.  
A. C. 138.

Antoninus  
Pius Imperator.  
An. 138.

§. XXXIII.

*Successio Episcoporum.*

Cornelius Episcopus Antiochenus defunctus est anno centesimo quadragésimo primo, postquam hanc Ecclesiam gubernasset annis tredecim. Successit ei Hero, seu Eros, qui sedem tenuit annis viginti septem. Anno sequenti Eumenes Episcopus Alexandrinus mortuus est, eique successit Marcus secundus. Nonnulli initium Regiminis Aniceti Papæ eodem anno ponunt, anno scilicet centesimo quadragésimo secundo, alii in annum centesimum quinquagesimum differunt; majori vero certitudine tenemus hoc anno centesimo quinquagesimo Cæladionem successisse Marco juniore in sede Alexandrina, eamque sedem tenuisse annis quatuordecim.

An. 141.

Euf. Chron.  
An. 143.

Euf. Chron.  
An. 150.

An. 150.

Gg 5 §. XXXIV.